



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 41. Advatica Tungrorum a Leodiensibus seditiosis denuo occupata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

venit tamen casus, qui veri timoris ar- Secul. XV.  
A.C. 1468.  
gumentum erat.

§. XLI.

*Advatica Tungrorum a Leodienibus  
denuo seditionis occupata.*

Ludovicus XI, antequam Peronniam Comin. l. 2. diret, duos Leodium ablegabat cap. 6. Ora-  
tores, qui cum civibus aliunde seditionis foedus inirent, eosque prompti auxiliū pollicitatione eo inducerent, ut ipsi, si forte Burgundus Franciam invaderet, bellum redintegrarent. Quamvis autem Rex interea cum Burgundiæ Duce concordiam sanxisset, negotium tamen Ora-  
toribus demandatum revocare neglexit. Igitur re palam facta, Leodienses Gallorum subsidio freti, Tungrensem urbem armis raptim captis infestant, in qua Leodien-  
sium Episcopus captivus detinebatur, unacum quodam Nobili, Imbercurtio no-  
mine, quem Dux ad prævertendam Civium seditionem cum copiis eo de-  
creverat. Primo impetu urbem occu-  
pant, plures Canonicos trucidant, & nonnullos Burgundi sautores gladio per-  
rimunt. Dux comperta cæde, in rabiem actus, Peronnensis arcis portas claudi jubet, atque in Franciæ Regem, quæcunque iræ vehementia dictabat, convitia effundit, eumque proditorem, atque per-



Sæcul. XV. perfidum adeo impotenti indignatione  
A.C.1468. compellat, ut, nisi Philippi Cominæi  
consilio fuisset absteritus, abs dubio Re-  
gem comprehendendi jussisset, ac ob præterri-  
tas offensiones severam de eo vindictam  
sumpisset.

## §. XLII.

*Angustiæ Regis Peronnæ inclusi.*

*Comin. l.2. cap. 7.* **R**ex gravissima animi sollicitudine agi-  
tatur; hinc enim inimici sui, qui ju-  
stissime in eum commotus erat, arbitrio  
relictum se cernebat; illinc vero a populo  
cinctus erat, quem sibi plusquam vati-  
niano odio infensum noverat. Tertia  
jamjam fluxerat dies, qua inquietissima  
hac cogitationum tempestate quatieba-  
tur; His accessit, quod Dux toto hoc  
tempore nec ipsius Regem accedere, nec  
aliis eum invisendi copiam faceret, ex-  
ceptis quibusdam Ducis Ministris. Hos  
tamen Rex tam dextre auro corruptit, ut  
ipsorum opera libertatem suam impe-  
traret. Testatur Cominæus, ex his  
quempiam fuisse, cui Rex quindecim au-  
reorum millia eo fine tradidit, ut hanc  
summam inter Ducis consiliarios distri-  
bueret: hunc vero hasce pecunias in  
lios longe usus convertisse.

## §. XLIII.